

Ecclesia recesserit; sparsim tantum hæretici Catholicis immixti erant. Ubi igitur nunc fidem inveniet Christus? In Asia? Nequaquam; possidetur enim a Turcis, Tartaris, Persis, Græcis schismaticis. In Africa? Minime; incolitur a barbaris et Turcis. In Europa? At si excipias Italiam, Hispaniam, partem aliquam Galliae, Germaniae, Poloniae, vix reperies nisi hæreticos. In America? At quam multi adhuc ibi gentiles; sed et inter fideles, quam multi Deum voce tantum confitentur, factis negant? Quam multorum fides mortua?

Quod si de fide hominum inter se loquamur, nihilo plus reperitur his temporibus; tanta enim est nunc hominum vanitas et perfidia ut locum habeat illud Ethnici *Nusquam tua fides*. Perit nunc antiqua sinceritas et confidentia, periit aurea illa sæcula, quibus alter alteri sine pignore, sine testibus, sine chirographo credebatur, mutuabatur, solvebatur: nunc sine his nemini creditur, imo et vix cum istis, quia etiam his adhibitis sæpe fides fallitur; nullus amplius in mentiendi pudor, pacta et promissa non servantur. Denique nec amicissimis ac notissimis, imo et propinquis pure quidquam creditur, omnia testibus, sigillis, pignoribus et chirographis communiri debent. Nimirum quia nunc Deo non confidimus, sed propriae tantum industriae, ideo apud homines etiam fidem perdimus. Judicet nunc qui vult, an non merito metuere vicinitatem illius diei possimus.

IV. Cum Romanum imperium deficiet. Id enim a decem regibus diripietur, et inter eos dividitur; quorum tres primos vincet Antichristus, et tunc reliqui septem semetipsos illi dedit; ut patet ex Ep. II. ad Thessal. c. II. Dan. c. VII. Apoc. XVII. estque communis patrum traditio. Hæc autem discissio et eversio Romani imperii sensim impletur, cum id sensim inclinatur et deficit; quod teste Daniele erit quarta et ultima monarchia, ante regnum Antichristi. Statuæ enim illius caput aureum designat imperium seu monarchiam Babylon, ob felicitatem, gloriam, amplitudinem; pectus argenteum imperium Persarum, ob ejus opulentiam; venter æneus imperium Græcorum, ob famam potentiae et sapientiae; tibiæ ferreae imperium Romanum ob firmitatem, idque divisum, id est orientale et occidentale. Definit hoc tandem in decem digitos, cum dividitur in decem regna. Et tunc lapis, Antichristus, statuam hanc conteret. Sane jam una tibiæ illi præcisa a Turca, orientalis scilicet, quam diu jam stat super uno pede? Quot etiam alteri pedi nervi jam abstracti? Quot vulnera inflicta? Ubi ergo direptum et divisum erit ratione dicta, adhærebit Antichristo et deficiet a Romano

Pontifice, uti et ipsa Roma, ut habetur Apoc. XVII. ubi idcirco in eo statu Babylon et meretrix magna vocatur. Et sane sola obedientia Romani imperii erga Sedem Apostolicam videtur id hodie sustentare. Persimile enim mihi videtur imperium Romanum tribus amicis in foro stantibus et colloquentibus, quorum primo unus et deinde alter abscessit, remanetque solus tertius. Vocatur enim imperium Sacrum Romanum. En amicos tres. Sed imperium videtur magna ex parte abiisse, quia multa regna et provinciæ ab ejus imperio se subduxerunt, idque diviserunt, et sibi proprios reges creaverunt, ut fecerunt Hispani, Poloni, Angli, Franci, et jam subtracta est illi Africa, Asia, Ægyptus, Græcia, Italia, Syria. Deinde videtur jam abiisse sanctitas, aut certe brevis abitura; siquidem imperium Romanum, quantumvis nunc augustum, plenum est hæresibus Calvinii, Lutheri, Zwinglii, Hussitarum, Anabaptistarum. Solus illi titulus Romani superesse videtur. Væ illi ubi et hic recesserit! Unde nos omnes pro diuturnitate et conservatione Romani imperii orare jugiter deberemus. Ita enim Lactantius l. 7. cap. XXV. ait: «Cum caput illud orbis occiderit, id est, vicus esse cœperit, quod Sybillæ fore aint, quis dubitet venisse jam finem rebus humanis orbique terrarum? Illa est enim civitas quæ adhuc sustentat omnia, precandusque nobis et adorandus est Deus cœli, sit amen statuta ejus et placita differri possunt, ne citius quam putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliat, ut lumen illud effodiat, cujus interitu mundus ipse lapsurus est.» Eandem ob causam scribit Tertull. in apolog. c. XXXII. Christianos pro diuturnitate Romani imperii orare consuevisse.

V. Cum Evangelium per universum mundum prædicatum fuerit. Sic enim Christus Matth. XXIV. ait: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* In quem locum S. Hieronymus ait: *Signum Domini adventus est, Evangelium in toto orbe prædicari, ut nullus sit excusabilis.* At vero his temporibus fides disseminatur in orbe prius incognito, pervenit ad Japones, Indos, Sinas, et Americae provincias, adeoque totum pervasit orbem.

VI. Cum homines minime existimabunt, et nihil de judicio cogitabunt, sed edent et bibent, ement et vendent, plantabunt et edificabunt, uxores ducent et dabuntur ad nuptias, uti in diebus Noe, et Loth, in quibus repentinus venit interitus, sic enim testatur Dominus Matt. XXIV. Luc. XVII. et Luc. XII. *Qua hora non putatis Filius hominis veniet.* Et I. Thess. V. Apostolus: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita*

veniet, inquit. *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Id vero nunc passim videmus, homines videlicet de judicio nihil prorsus cogitantes, sed de cibo tantum et potu, de emptione et venditione, de agricultura et ædificiis, de matrimoniis et nuptiis. Nemo unus putat, se vivo, mundi finem aut Antichristum adventurum. Omnes solum vitam cursum tenent, prandent, cœnant horis consuetis, eunt cubitum, et mane consurgunt more solito, colunt agros, et de futura messe cogitant ac loquuntur, de liberis solliciti sunt, quomodo filios evehant, filias nuptui dent, dotem iis atque hæreditatem parent, quasi mundi cursus perpetuo sit futurus; et quid aliud fecerunt homines paulo ante diluvium? Paulo ante incendium Sodomæ? Hoc idem faciunt homines, cum veniet mundi interitus. Quid si illi ipsi non essemus? Absit, absit, dicit quilibet nostrum, ut hoc mihi contingat. Volumus ergo diem illum procul a nobis esse? Simus, quales laudat et describit S. Paulus loco indicato ad Thessalonicenses dicens: *Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis estis et filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum: igitur non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus et sobrii simus.* Dormiunt qui voluptatibus et cupiditatibus suis immersi, adventum Christi non cogitant. Vigilant qui bonis operibus inhaerentes, diem illum parati semper expectant: vigilemus itaque, si ab illo die nolimus deprehendi. Et hoc est quod nobis ex Apostolo oclamat hodie Ecclesia: *Fratres, hora est jam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus, Rom. XIII. sed quomodo surgendum, subdit: Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in cubilibus et impudiciis, etc.* Excitavit olim hæc Apostoli vox a somno gravi et diuturno magnum illud Ecclesiae lumen Augustinum: excitet igitur et nos, quia salus nostra et adventus Domini quotidie sit nobis propior. Totum tempus gratiæ S. Joannes vocat unam eamque novissimam horam, *Filioli, novissima hora est, I. Joan. II. Hinc dormientem mundum sancti aliquot viri jam olim excitare conati sunt, quasi jam hora illa elapsa esset, jam jamque sonitura, non quod determinatum tempus consummationis designarint, uti fecere Mahomet, Lutherus, et Stifelius Pseudo prophetae, sed propinquitatem denuntiarent.* Ita S. Medardus circa annum 540. S. Gregorius P. circa annum 592. S. Vincentius Valentius circa annum 1445. considerantes suorum temporum calamitates, hortabantur populum, ut

starent in procinctu ad expectandum diem Domini. Quemadmodum enim qui necessario facturus iter summo mane, non habet ad dormiendum nisi unam horam reliquam, subinde cum sonat primus, deinde secundus, denique tertius quadrans, a sociis excitatur, quasi metuens ne hora prorsus elapsa sonet et præveniat socium: ita faciebant sancti illi; clamaverunt ad primum, secundum, tertium horæ quadrantem, permoti suorum temporum calamitatibus, velut illius ultimi diei præludii. Metuendum ne brevisonet hora.

Sed quid interest, licet nobis viventibus non contingat illa sæculi consummatio? Annon sat superque nobis esse debet, quod unicuique nostrum in vitæ periodo eveniet id ipsum, quod aliquando eveniet mundo? Annon prosequetur nos Antichristus, malus, inquam, genius, habens iram magnam, sciens quia tunc modicum tempus habeat? Annon tunc obscurabitur sol et luna, cum intellectus et oculorum lumen deficiet? Annon stellæ de cœlo cadent, cum omnia desiderabilia nostra corruent et nos deserent, mundusque totus a nobis fugiet, et demum in momento coram nobis evanescent? Annon in terra corporis nostri erit pressura morborum et pugnantium inter se humorum? Hæccine nobis non sufficiunt? Quid vero, cum apparebit nobis Judex noster dubio et irato vultu? Quid si tunc Angeli pacis amare fiant? Quid si præ horrore dicturi simus montibus: *Cadite super nos?* Et vallibus: *Operite nos?* Itaque, auditores, non tam ad communem illam orbis, quam ad singularem uniuscujusque nostrum consummationem attendere nos oportet. Ne alioquin cum Thalete illo, dum sidera contemplamur, ad terram vero, in qua ambulamus, non attendimus, in foveam incidamus, et sic universo orbi ludibrium fiamus.

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA.

I. Exemplum superiorum quanti sit. — II. Timor judicii nemini abjiciendus. — III. Præparatio ad judicium. — IV. Bene sperandum bonis. — V. Judicis adventus terribilis. — VI. Nihil eo adventu certius.

## THEMA.

*Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum polestate magna et majestate. Lucæ XXI.*

Joannes in Apocalypsi cap. IV. vidit in spiritu speciem venturi nostri judicis Christi sedentis in magnifico throno, de quo procedebant fulgura et voces et tonitrua. Quibus symbolis non solum ostendit Deus suam potentiam, majestatem et magnificentiam, qua venturus est ad judicium; verum etiam modum et rationem, quam vult adhiberi a concionatoribus (in quorum ore et corde quasi in throno sedet) in eru-

diendo populo. Vult enim ut primo fulgura in auditorum oculos emittant, id est, eos doceant atque illuminent et argumentis efficacibus convincant. Deinde ut voces humanas proferant, hoc est, ut temperatis et paternis admonitionibus eosdem obsecrent et hortentur. Denique ut tonitrua edant, hoc est, ut severis et terrificis comminationibus duros et contumaces increpent. Atque hæc ipsa tria concionatorum officia tribus verbis commendavit Apostolus discipulo suo Timotheo episcopo Ephesino II. Tim. IV. cum ei scripsit: *Argue, obseca, increpa*. Argue ut doctor, obseca ut pater, increpa ut præceptor. Jam si thronum illum venturi judicii Christi in hodierno Evangelio contemplemur descriptum a S. Luca his verbis: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate*, deprehendemus etiam symbola illa; fulgura, inquam, voces et tonitrua, hoc est, doctrinam, obsecrationem, et increpationem non obscure ad nos prodire. Hæc igitur nos promemus.

I. Ad fulgura et doctrinam spectat primo quod legimus in hoc Evangelio; sole deliquium passuro, passuram cum eodem lunam aliaque sidera minora, quæ e sole pendent, et lumen suum mutant: quæ res docet, quantam habeant vim exempla superiorum, mala præsertim, ad trahendos post se subditos, qui claudicante magistratu, et ipsi mox claudicare, et eo delinquente, delinquere incipiunt. Quod est medulla arbori, hoc est princeps et magistratus plebi: ex medullasana et vivente vivunt, reflorescunt et virent rami; ex bono magistratu subditi. Unde Ezech. XVII. Rex Jechonias a Nabuchodonosore in captivitatem abductus vocatur medulla cedri: *Aquila grandis tulit medullam cedri*: (Hebr. summitatem seu fastigium cedri) aquila hæc ad litteram Nabuchodonosorem ut dixi, mystice diabolus significat, qui imprimis insidiatur principibus et magistratibus, a quorum vita pendere vitam subditorum novit. Magistratum ubi pervertit, facile pervertet populum; quemadmodum qui imaginem vel scripturam originalem, ad cuius normam aliæ depingi debent, labefacit, facit ut alii quoque, qui eas imitantur, errent. Scimus e SS. Litteris virgam denotare regiminis potestatem. Qualis autem erat color virgarum Jacob, talis erat color pecorum, quæ nascebantur ex ovibus in aspectu virgarum concipientibus: uti legimus Gen. XXX. Ita omnino quales sunt regis ac præsulis actiones, tales cogitationes concipiunt eorum subditi; quia ut oves illæ in virgas, ita ipsi in rectores suos eorumque mores acutissime intendunt, eaque recta et licita putant, quæ in psis cernunt. Jacob repræsentat principem, virgæ sunt ejus opera; oves subditi, concep-

tus cogitationes et proposita. Unde ait Ecclesiasticus cap. X. *Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea*.

II. Spectat secundo, quod legimus omnibus timendum Dei judicium. Id enim sibi volunt verba illa: *Arescentibus hominibus præ timore et expectatione quæ supervenient universo orbi*. Hinc etenim dicimus, periculosum et pestiferum esse nostrorum hæreticorum dogma, quo salutem sibi certam faciunt, adeoque omnem judicii timorem pellunt; necnon illorum Catholicorum, qui cum vera fide præditi sint, inde nimirum securi et quasi certi de salute vivunt. Docet enim hodiernum Evangelium, tribulationem mundi ultimam superventuram universo orbi, adeoque omnibus timendam esse, eo quod nemo perspectum habeat, odione an amore dignus sit, et in bono an perseveraturus. Miseri illi hæretici cæcantur a suis prædicantibus, non secus ac plectendi, quorum oculis minister carnificis injicit pileolum, jubetque eum securum esse, cum interim carnifex gladio caput illi amputat. Vere ministri, non Verbi, sed diaboli sunt, qui pergentes ad tremendum Dei judicium securos esse jubent; imo ipsi demones sunt, siquidem eis dicunt, quod Satan ille Christo dixit: *Mitte te deorsum, Angelis enim suis mandavit de te*. Matth. IV. hoc est, noli timere mortis et judicii præcipitium; fidem habes, Dei Filius es, certus de salute, etc. Itaque miseri illi sub istis suis tibicinibus suaviter modulantibus, cantando, ad judicium, ipsamque gehennam eunt, juxta id Jerem. VIII. *Conversi sunt ad cursum suum, sicut equus impetu vadens ad prælium*. Equus bello assuetus audiens sonitum tubæ militaris exultare videtur et gestire, necnon alacri hinnitus et superbo gressu prosilit in aciem, quia belli pericula nec prævidet nec metuit; ita ad diem judicii, *Diem tubæ et clangoris*, ut eum vocat Sophonias c. I. seu *Diem tubæ et tarantare*, ut vertit Pagninus, pergunt miseri hæretici. Sed et veri fideles timendum sibi, dum vivunt, sciunt: tametsi enim in via salutis sunt, nondum tamen in termino; a quo facile aberrare possunt, si curam salutis suæ abiciant: *Ne gloriatur accinctus æque ut discinctus*, ait Achab regi Syriæ, III. reg. XX. hoc est: ut Chaldæus reddit: *Ne laudet se expeditus et descendens in prælium, sicut vir, qui vicit et ascendens ex eo*. Francorum rex Ludovicus XII. dicere consueverat: *Ne visis templorum pinnis iter te confecisse dicas*. Multum enim sapenmero itineris adhuc conficiendum est; et fieri potest, ut tardius ad urbem venias, ab eaque excludaris, cujus turres a longe vidisti.

III. Ad voces et hortamenta pertinet, quod ait Dominus: *His autem fieri incipientibus respicite*. Monet enim hac voce, ut ne ad judicium impa-

rati veniamus; se ubi mortis periculum aliquod præ oculis videmus, mox ad conscientiam nostram pugillares et ephemerides respiciamus. *Respicite*, inquit: quasi retrospectis et recogitate annos vestros præteritos, eosque fletibus punite, ne sero nimis fleatis. Propterea enim hic Dominus signa quidem judicii prævia aperuit, certum tamen annum, diem et horam minime judicavit, ut in omnem horam simus parati, et quodcumque potest manus nostra, instanter operemur, maxime cum instantis mortis signum aliquod sentimus. Fecerunt hoc timorati quique quantumvis bene sibi conscii: inter alios S. Augustinus, qui in ultima senectute et morbo per dies plurimos contritioni et penitentiae ita vacavit, ut in legendis psalmis penitentialibus jugiter et ubertim fleret. Possid. in vita. Deinde Ludovicus Pius imp. qui cum anno DCCCXXXVII. cometa appareret, sciens hinc fere signis mortem principum portendi dixit: «Non alium timere debemus, præter illum, qui nostri et hujus sideris creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare et imitari possumus, qui nostram inertiam cum simus peccatores et impoenitentes, talibus indicis dignatur admonere. Quia ergo et me et omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse ad meliora festinemus, ne forte misericordiam illo prorogante, et nostra impoenitudine impediante, nos illa inveniamur indigni.» His dictis noctem illam in orationibus pervigilem duxit, et mane facto, largissimas eleemosynas pauperibus erogavit, missarumque solemnias per quoscumque potuit celebrari fecit: triennio post anno scilicet 840. quo tantum solis deliquium fuit, ut dies a nocte nihil differre videretur, in lethalem morbum incidit, quo durante, quotidie per dies XL. S. Eucharistiam sumpsit, et præter hanc aliud cibi nihil admisit, thesaurum suum privatum pauperibus distribuit, rebelli filio injurias remisit, pectus suam cruce munit, demones sibi apparentes fugavit, elatisque in cælum oculis spiritum Deo reddidit. Baron. an. 738. et 840. Huic jure adnumeramus S. Henricum imp. qui Ratisbonæ in templi muro monstranti sibi scripturam a S. Wolfgango jam tum defuncto, *Post sex*, ratus se primo post sex dies, deinde post sex hebdomadas, tum post sex menses, denique post totidem annos moriturum, largas eleemosynas distribuit, totusque in cura mortis obeundæ fuit, sanctissimeque vixit. Rader. in Bav. sancta et pia, et suprad. Ferdinandum item Castellæ et Legionis regem, qui sentiens se viribus deficere, deportari se in ecclesiam jussit; ubi regia indumenta exuit, cilicioque se operuit, caput cinere aspersit et inter episcoporum manus post biduum spiritum Deo reddidit, anno Christi 1065. Quin

et inter gentiles Seneca de seipso scripsit ep. XCIV. *Non me ad eum diem aptavi, quem ultimum mihi spes avida promiserat; sed nullum non tamquam ultimum aspexi*. Bene ergo S. Augustinus serm. CXX. de temp. dixit: *Præveniendus est dies, qui præveniri consuevit*.

IV. Ut boni bene sperent tempore mortis et judicii, tametsi non absque timore alioque, ut supra diximus; subdit enim Dominus: *Levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra*. Quæ verba ad discipulos suos locutus Dominus, de justis utique omnibus voluit intelligi. Hi enim cum bene sibi conscii sint, gaudere magis debent, quam tristari morte adveniente, per quam redimuntur ab innumeris vitæ hujus miseriis, et bonis omnibus replentur. Non admodum notatur discrimen inter candelam unam e cera et alteram e sevo factam, quamdiu utraque ardet; at, ubi extinguuntur, illa gratum odorem, hæc vero tetrum et infectum fundit. Ita justus et peccator parum, dum hic vivunt, a se mutuo discernuntur; at cum extinguuntur in morte, ille plenus spe et solatio moritur, optimumque vitæ odorem post se derelinquit, hic vero invitatus emigrat fetoremque conscientie sentit et prodit, si non coram mundo, saltem coram Deo. Pudica mulier quæ marito suo peregre profecto fidem tori servavit, seduloque domum administravit, cum gaudio præstolatur maritum redeuntem; at non item levicula, quæ, absente marito, admisit amatores alios et rem domesticam perdidit: hæc enim cum pavore et pudore virum redeuntem aspicit. Par ratio de justis et injustis.

V. Ad tonitrua demum spectat, primo, quod audimus in hodierno Evangelio, Christi judicis adventum fore pavendum et terribilem, *in nube, scilicet, cum potestate magna et majestate præviis signis horribilibus*. Hunc adventum et thronum judicis vidit in spiritu Joannes et apertius describit Apocal. XX. *Vidi, inquit, thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra et cælum, et locus non est inventus eis*. Et Daniel. cap. VII. *Aspiciebam donec throni* (Apostolorum aliorumque assessorum scilicet) *positi sunt et antiquis dierum sedit. Thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accensus, fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus, etc.* Qui judicem hunc aspicere, quis ad thronum hunc levare oculos audebit, si ab eo refugit cælum et terra? Si pavent Angeli et homines, maxime qui hostes et perduelles illius judicis fuerunt? Quis tunc animus erit perfidis Judæis, cum aspicient eum gloria et honore, potestate et majestate inclytum, in quem pupugerunt? Quid perduelles dicent hæretici, cum a se aversum cernent, quem sibi tam benignum

et benevolam finxerunt? Quid ingrati fideles, cum in tanta majestate intuebuntur Dominum suum, cujus jugum respuerunt? Cujus merita et sanguinem conculcarunt? Quid duri et avari, qui eum in pauperibus esurientem a se repulerunt? An non fugient aut fugere saltem conabuntur a tam potente et glorioso, quodque maximum est, tam graviter offenso iudice? Exemplo rem hanc declaremus. Athenais Atheniensis Leontii philosophi filia, qua formae elegantia, qua litterarum peritia insignis geminos habuit fratres, quos pater moriens ex asse haeredes instituit, dum filiae non plus, quam centum aureos legaverit. Extincto patre, testamentoque resignato. Athenais exhaeres reperta gravissime commovetur, lacrymisque perfusa, pedibus fratrum advolvitur rogans, ne se vellent paternis bonis exclusam, quam scirent patri fuisse semper morigeram. Verum aurum fratribus aures jam ocluserat, omnemque pietatis sensum ademerat: hi sororis preces non tantum non audierunt, sed insuper eam paternis aedibus exturbarunt. Ergo Athenais Constantinopolim ad amitam perrexit, fratres reos actura: ibi ad Pulcheriam Augustam deducta ob insignem corporis et animae decorem ac dotes imperio dignas, Theodosio imp. Eudocia nominatur. Quo accepto de sorore nuntio fratres, visaque jam sororis, quam indigne spreverant, gloria et potentia, metu pece exanimati, non tantum ausi non sunt in ejus conspectu apparere, verum nec in ejus imperii finibus persistere: quare, agitante eos metu, in Helladem profugere; ut refert Glycas, Nicephor. l. XIV. c. XXIV. Jam ergo, auditores, cogitate quid in die iudicii acturi sint perversi, rebelles, duri et avari, cum ante se cernent Christum mundi totius iudicem et imperatorem factum, quem hic in pauperibus agnoscere noluerunt, imo a se repulerunt, et debito sibi alimento ac patrimonio spoliarunt, fameque interire passi sunt, si fratres sororem feminam ad imperium evectam, quam a se offensam noverant, adeo fugerunt. Pauperes quidem Deus quodammodo exhaeres fecit, divitibus tamen eos alendos commendavit; qui idcirco illis dicet: *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc. quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Matth. XXV. Quomodo tunc non fugient a conspectu throni? Atque haec est illa vocula, quam expressit Dominus: *Tunc videbunt Filium hominis, etc.* Mundi sectatores et improbi solum attendunt ad nunc, non considerant illud tunc, quid tunc futurum sit.

VI. Secundo, quod audimus nihil esse certius terribili Christi adventu et iudicio. Eo enim tendunt seriae illae Christi assertiones: *Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec, donec om-*

*nia fiant, caelum et terra transibunt, verba mea non transibunt.* Hoc est, citius caelum et terra ruent, quam verba mea fefellerint. Vidit nimirum Christus ea, quae nobis adversantur et displicent, difficulter apud nos invenire fidem, maxime quae de morte, iudicio et inferno dicuntur, quia nos ipsos nimis diligimus et meliora semper ominamur. Itaque jurat quodammodo per caelum et terram, per thronum et scabellum suum, se non emansurum, sed descensurum ad iudicium. Viderint ergo qui iudicii timore abjecto ita vivunt, quasi Christum mendacii arguere velint: his enim ait per Sophoniam cap. I. *Visitabo super viros defixos in facibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus et non faciet male;* (hoc est, non praemiabit bonos nec puniet malos, adeoque non iudicabit quemquam) *juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis; vox diei Domini amara, tribulabitur ibi sortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris.* Quae verborum fulmina! Irae dies vocatur, quia in ea Deus omnem suam iram, per omnes mundi aetates collectam, videtur in reprobos effundere. Dies tribulationis, qui tribulos omnium afflictorum aget super impios: dies angustiae quia ab omni parte arctabuntur mali; supra se videbunt iudicem iraspirantem, infra se infernum flammam evomentem, retro se peccata admissa et praeteritas voluptates, ante se aeternitatem calamitosam, circum se daemones, intra se conscientiam mille vulneribus sauciam, testem, actorem, carnificem: dies calamitatis, quia undique plagae et poenae: dies miseriae, quia extrema ibi paupertas et desolatio: dies tenebrarum, quia damnati ibunt in tenebras exteriores: dies caliginis, quia internis etiam tenebris in mente involventur: dies nebulae, quia humanam tantum iudicis naturam utpote vicinam poterunt videre; divinam vero ejus naturam, utpote longe a se positam, minime videbunt: dies turbinis, quia quasi mentis inopes vertigine agentur et quasi in gyrum rapti in abyssum demergentur: dies tubae, quia dies praellii, quo profligati conficiuntur: dies clangoris, quia ibi incipient aeternum lamentari, ejulare et stridere dentibus. Haec igitur tuba auditores, sonet in auribus nostris, ut instar equorum bellicorum ejus assueti, non horreamus, sed exultemus in die iudicii.

## CONCIO X.

## MYSTERIA EVANGELII.

I. Qualia signa, et cur. — II. Qualis pressura gentium. — III. Omnesne finebunt. — IV. Quae virtutes caelorum movendae. — V. Quare Christus iudex constitutus. — VI. Cur in nube venturus. — VII. Quid parabola ficulnae. — VIII. Quid de tempore iudicii.

## THEMA.

*Erunt signa in sole, et luna, et stellis.* Luc. XXI.

Nosse vos arbitror, auditores, summum sacerdotem veteris legis gestasse in ora et fine vestis talaris plurima tintinnabula; quod fieri praecipit Deus. Exodi XXVIII. Quid sibi voluerunt illa tintinnabula in extremitate vestis? Origenes hom. IX. existimat extrema tempora et finem mundi crebris admonitionibus praedicendum, et auribus nostris inculcandum iis designari. Nec dissentit Gregorius Nyssenus, qui novissimam Angelitubam, quae sonabit: *Surgite mortui, venite ad iudicium*, tintinnabulis delineatam esse putat. Bene itaque summus noster sacerdos Christus, ad finem vitae suae implet aures nostras illis tintinnabulis extremae calamitatis, ut in hodierno Evangelio et ante octiduum audivimus; simulque adhortari videtur omnes sacerdotes ut mundi finem et iudicium extremum crebris concionibus insonare, et inculcare populo velint; siquidem id reprobis extremam calamitatem, bonis extremam felicitatem afferet. Quare, auditores, si iudicii illius sonus crebro in nobis audiatur, nolite hoc agre ferre, multo minus, aures ocludere; ex Dei mandato loquimur, de summa rerum agimus tam nostrarum quam vestrarum.

I. Qualia signa erunt in sole, luna et stellis? Et cur? Matthaeus cap. XXIV. explicat cum dicit: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo.* Cadent nempe quoad apparentiam et hominum existimationem (nam cum stellae omnes multo terra majores sint, ut contendunt mathematici, cadere in eam nequeunt) quia de summa aeris regione cadent multae ignitae faces instar stellarum; vel certe qui stellae lumen suum perdent, et ita cecidisse videbuntur: loquitur enim Scriptura more vulgari, non philosophico. Fient autem haec primo ad incutiendum terrorem peccatoribus, quo convertantur, justis quo purgentur a delictis quotidianis; si enim virtutes illae caelorum, quae nec culpam admittere nec poenam sustinere possunt, adeo commoventur et quodammodo conturbantur ab ingraente iudicii calamitate, fierine poterit, ut homines inde non moveantur ad poenitentiam, Dei timorem, etc.? Secundo ad demonstrandam peccati gravitatem. Cum enim irracionales et innocuae caeli faces plei videbuntur quod luxerint peccatoribus ad patranda scelera, quantum malum erit peccatum quod a

volente et prudente committitur? Cum insignis patriae hostis Domitianus imp. contrucidatus esset, senatus ejus caede mire laetatus, clypeos et imagines ejus palam undique detraxit, et ad solum allisit, titulos erasit, omnemque memoriam abolendam decrevit. Peccatores ergo deleturus Deus, caelorum lumina eradet: stellas dejiciet, quod eorum arma, clypei, instrumenta peccandi fuerint. Quatenus Dei hostis debet esse peccator, quia talia passurus est? Tertio. Ad indicandum mœrorem mundi, imo ipsius Dei, quasi hic invitatus et cum luctu procedat ad tribunal, plexurus peccatores, quos alioqui salvos mallet, et his signis praemonitos velit; ille vero aëris oculis aspiciat supplicia peccatorum, ideoque oculos quodammodo claudat, quomodo Agar, abjecto infante, recessit et sedit procul dicens: *Non videbo orientem puerum.*

II. Qualis pressura gentium in terris? Etiam in terris mira erunt et horribilia ostenta futurae calamitatis, quae alibi recensuimus; scilicet bella, terrae motus, conturbationem maris, pestilentiam et famem, grandinem et incendia, agmina locustarum, aestum, ulcera et vulnera saeva in hominibus, mutationem aquarum in sanguinem; quae partim ab Evangelistis, partim a Joanne in Apocalypsi notantur. Hinc ergo ex tot malis undique prementibus angustia et pressura. Quemadmodum enim Herode ob novi regis nuntium turbato, turbata est cum eo omnis Jerosolyma, Matth. II. ita Rege caeli ad ultionem armato et irato, irascitur et armatur ad vindictam de peccatoribus sumendam universus orbis juxta id Sapientis V. *Armatib creaturam ad ultionem inimicorum*: quomodo ergo tanto Rege cum tanto exercitu veniente contra hominem non angustietur homo?

III. Omnesne homines arescent praetimore et expectatione futuri iudicii? Communis erit omnibus timendi ratio, non secus atque iis, qui in eodem templo clausi advertunt paulatim inclinari muros, crepare trabes, scindi et dissolvi fornicem, etc. certam et praesentem expectant templi ruinam; verum aliis magis, aliis minus. Nemo certo novit, odione an amore dignus sit; num in statu gratiae, an in statu peccati sit, ideo omnes timebunt. Magnae orbis columbae, magis inquam sancti, propter hanc incertitudinem quandoque contremuerunt. At vero quia justi moralem quamdam certitudinem sui status habent, alii plus, alii minus, ideo hi minus timebunt, prout eos conscientia propria magis vel minus excusabit. Jam pridem gentilis poeta, de vero integro vitae, scelerisque puro dixit: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae.* Caeterum impii ex altera parte toti exarescent velut herbae parietinae ad exortum solis, quia carent humore gratiae et solatio conscientiae;